OFFICIA SANCTORUM IN BREVIARIO ORDINIS EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI

Novitér apponenda, ex Apostolica Conceſſione, & Auctoritate S. R. C.

DIE VI. APRILIS.

IN FESTO B. CATHARINÆ A PALLANTIA VIRGINIS.

Sanctimonialis Ordinis Eremitarum SANCTI PATRIS AUGUSTINI.

SUB RITU SEMIDUPLICI.

Omnia de Comm. Virg. primo loco, præter ea, quæ ſequuntur.

ORATIO.

EXaudi quæſumus Domine, preces noſtras, & interceſſione Beatæ Catharinæ Virginis tuæ præſta, ut Dominicæ Paſſionis Myſteria recolentes, ad Chriſti patientis ſequenda veſtigia gratiæ tuæ dono, & virtute excitemur. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

CATHARINA in Oppido Pallantiæ ho-

honestis Parentibus orta est Illis in ejus infantia defunctis, Divinæ Providentiæ consilio Mediolanum deducta, & à pijssima foemina sancte educata, ardenti erga B. Virginem pietate enituit Audito sermone de Christi Domini Passione, ante illius imaginem provoluta suam Deo virginitatem sacravit. Cælesti deinde impulsu ad Montem Varisium se contulit, ubi pijs quibusdam mulieribus prope Ecclesiam B. MARIÆ Virginis Eremiticam vitam agentibus, & peste affectis, mira inserviens charitate, ipsa quoque eodem morbi genere, infecta est. Igitur Pallantiam reddijt. Sed vix suis precibus à Deo pristinam salutem consecuta est, ad optatam Eremum denuo convolavit, ibique locum demortuarum peste mulierum ingressa, summam in tolerandis, frigore, calore, fame, & siti fortitudinem ostendit. Ad sexennium circiter à carnibus abstinens longas Quadragesimas una cum rigidis jejunijs servavit. Cibum ipsum parcissimum, quo ex naturæ necessitate utebatur, cinere aspersum pluries sumere visa fuit. Tu autem Domine &c.

Lectio V.

Dirissimis usque ad sanguinem flagris mane, meridie, & vespere corpus suum affligebat. Integras fere noctes, quamvis infirma, orando transegit, amissum reputans tempus

quod

quod orationi non dabat, quam ad decem usque horas non raro protraxit. In Dominicæ Passionis Mysterijs meditandis præcipue occupabatur, eaque de causa peculiari obsequio sextas Ferias in memoriam ejusdem Passionis Dominicæ recolebat, cujus Sacram Historiam à S. Joanne conscriptam quotidie lacrymis madida serio perlegere consuevit. Dum autèm Dei Famula hoc pacto cælestem potius, quam humanam in Varisij Eremo vitam agebat, divinitùs factum est, ut illi Beata Juliana à Busto Arsitio tamquam socia adjungeretur, cujus exemplum brevi temporis spatio aliæ quoque pie Virgines sequutæ sunt, testes, & hæroicæ illius charitatis erga scelestos complures, quos adhortationibus suis in viam salutis reduxit, & ejus singularis mansuetudinis, dum alapa percussa alteram percutienti genam placidissimè obtulit. Tu autem Domine &c.

Lectio VI.

INterea regulare aliquod Institutum profiteri statuens, & ideo fervidas ad Deum preces effundens, Sanctimonialium Monasterium sub Regula Sancti Patris Augustini fundavit, ejusdemque demandatum sibi regimen suscepit. Tandem cum se eximiæ pietatis, atque patientiæ exemplar per menses viginti post susceptam Sancti Patris Augustini Regulam exbi-

hibuisset; proximo suo obitu prænunciato, salutaria monita Consororibus reliquit, defixisque in Crucifixi imaginem oculis, die sexta Aprilis anno post Christum natum millesimo, quadringentesimo, septuagesimo octavo, intelligentiæ, & scrutationis cordium dono insignit[a] migravit ad Dominum[.] Plura ad ejus invocatio[-]nem Deus miracula pa[-]travit, ejusque immemorabili cultu ritè probato, Clemens Quartus Decimus ut Beatorum numero Catharina adscriberetur, indulsit. Tu autem Domine &c.

DIE XXVI. APRILIS.

IN FESTO APPARITIONIS SACRÆ IMAGINIS B. MARIÆ VIRGINIS

DE BONO CONSILIO

NUNCUPATÆ.

Pro utroque sexu Universi Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Festo Sanctæ Mariæ ad Nives, præter ea quæ sequuntur.

AD VESPERAS.

ORATIO.

Bonórum ómnium largîtor Deus, qu[i]
Ge[-]

Genitrîcis diléćti Fílli tui speciôsam Imáginem mira Apparitiône clarificâre voluísti: concêde quæsumus, ut ejúsdem Beatæ Mariæ Virginis intercessiône ad cælestem pátriam felíciter perducamur. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

PLaude festîvo, pia gens, honôre,
Dum Genestâni venerâris ædem,
Qua Dei Magnæ Genitrîcis alma
Splendet Imágo.
Hæc ubi mira spécie repénte
Obtulit sese pópulis vidéndam,
Multa mox secum bona ferre nostras.
Visa per oras.
Ipsa tunc ægris áderat, moléstos
Córporis morbos animíque pellens,
Longe & erúmnas Látio imminéntes.
Ipsa fugâbat.
Virgo, quæ magnis decorâta signis
Nunc quoque effúlges, míseris juvámen
Affer, & fusis pátiens cliéntum
Annue votis.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cæli sólio corúscans
Totîus mundi sériem gubérnat
Trinus, & Unus.
Amen.

In I. Nocturno.

Lećtio I.

De libro Proverbiôrum.
c. 2. 10. *&c.*

SI intráverit sapiéntia cor tuum, & sciéntia ánimæ tuæ placúe-

cúerit, consilium custodiet te, & prudéntia servàbit te, ut eruâris à via mala, & ab hómine, qui pervérsa lóquitur; qui relínquunt iter rectum, & ámbulant per vias tenebrósas; qui lætántur cum malè fécerint, & exúltant in rebus péssimis, quorum viæ pervérsæ sunt, & infámes gressus eôrum.

℟. Sancta, & immaculâta virgínitas, quibus te laúdibus ésseram nescio. * Quia quem cæli cápere non póterant tuo grémio contulísti.

℣. Benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

Lectio II. c. 3. 21.

FIlli mi, ne effluant hæc ab óculis tuis. Custódi legem, atque consílium, & erit vita ánimæ tuæ, & grátia fáucibus tuis. Tunc ambulábis fiduciáliter in via tua, & pes tuus non impínget. Si dormiêris non timébis, quiésces, & suavis erit somnus tuus: ne páveas repentino terrôre, & irruéntes tibi poténtias impiôrum. Dóminus enim in látere tuo, & custódiet pedem tuum, ne capiâris.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula plácui Altíssimo. * Et de meis viscéribus génui Deum, & hóminem.

℣. Beâtam me dicent omnes generatiônes, quia ancillam húmilem respéxit Deus Et de meis.

Lectio III. c. 8.

EGo Sapiéntia hábito in consílio,

&

& eruditis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilíngue detéstor. Meum est consílium, & æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitûdo. Per me Reges regnant, & legum conditóres justa decérnunt. Per me Príncipes imperant, & poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, & qui mane vígilant ad me, invenient me.

℟. Beâta est Virgo María, quæ Dóminum portásti Creatôrem mundi. * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes Virgo.

℣. Ave María gratia plena: Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

De Sermône S. P. N. Augustini Episcopi.

In Natali S. Joannis Baptistæ.

HOminem concépit Elísabeth, hóminem María: sed Elisabeth solum hóminem, María Deum, & hóminem. Mira res est, quómodo potúerit concípere creatúra Creatôrem. Quid est ergo intelligéndum, Fratres mei, nisi quia ipse tibi fecit carnem de sola Matre, qui fecit primum hóminem sine patre & matre? Primus ille noster casus fuit, quando fémina, per quam mórtui sumus, in corde concêpit venéna serpéntis. Persuâsit enim serpens peccâtum,

& admíssus est male suadens. Si primus noster casus fuit, cum fémina concêpit corde venéna serpéntis; non mirándum, quod salus nostra facta est, cum fémina concêpit in utero carnem Omnipotentis. Utérque cecíderat sexus: utérque fúerat reparándus. Per mulíerem in intéritum missi erâmus: per mulíerem nobis réddita est salus.

℟. Sicut cedrus exaltâta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitâtem odôris.

℣. Et sicut cinnamômum, & bálsamum aromatizans. Dedi suavitâtem.

Lectio V.

De Sermône S. Fulgéntii Epíscopi.

De laudibus Mariæ ex partu Salvatôris.

QUONIAM Diábolus per Serpéntem Evæ loquútus, per Evæ aures Mundo íntulit mortem, Deus per Angelum ad Marîam pértulit verbum, & cunctis sæculis vitam effúdit. Angelus sermônem ejêcit, & Christum Virgo concêpit. Hoc splendôre concípitur Dei Fílius: hac mundítia generâtur. De Cælis médicus tránsiens per Vírginem: post tránsitum suum illæsam fecit Vírginem permanêre. Qui enim disrúpta córporum membra in áliis póterat integrâre tangéndo, quanto magis in sua Matre,

re, quod invênit integrum, pótuit non violâre nascéndo? Crevit enim ejus partu intégritas córporis pótius, quàm decrêvit; & Virgínitas ampliâta est pôtius quàm fugâta.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicu sol, & formôsa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiæ Sion, & beâtam dixérunt, & regînæ laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdábant eam flores rosàrum, & lilia convállium. Vidérunt eam.

Lectio VI.

MAría quam præclaríssimis tribus bonis sublimêtur, auscúlta, Salutatiônis Angélicæ, benedictiônis divínę, & plenitúdinis gratiæ. Sic enim eam légitur salutásse: Ave María gratia plena, benedícta inter mulíeres. * Et ut nihil non sublíme esset in hac Sanctíssima Vírgine, quàm Angelus grátia plenam salutàvit, non sine Divíno consílio factum est, ut ejus étiam imágines summo essent in honôre, & prodígiis, miráculisque claréscerent. Quas inter, ea tribus ab hinc sæculis præcípuo honôre, cólitur, quæ Paulo secúndo sedénte, mirabíliter apparuísse in paríete Eclésiæ Patrum Ordinis Eremitârum Sancti Augustíni in Oppido Genestáni Prænestínę Dioecesis, ex pontifíciis diplomatibus, & suppáribus monuméntis comprobâtur. Quibus permôtus Pius Papa Sextus præfâtis ejúsdem Oppidi

di Cœnobítis Officium próprium concéssit séptimo Kaléndas Majas, ipso scílicet, Apparitiônis die, recitándum, ac deínde illud, die, quæ immediáte subséquitur pro ejus recitatiône in pósterum assignâta, ad univérsum prædíctum Ordinem sub ritu dúplicis majôris exténdit.

℟. Ornâtam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupîvit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effûsum nomen tuum.

℣. Astitit Regîna à dextris tuis in vestîtu deauráto circúmdata varietâte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In iii. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio S. Evangélii secúndum Matthæum. *cap.* 1.

LIBER generatiônis Jesu Christi Fílii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía S. Thomæ Episcopi.

In Conc. 2. *Nat. B. M.*

COgitánti mihi, ac diu hęsitánti, quid causæ sit, quòd cum Evangelístæ de Joánne Baptísta, & áliis Apóstolis tam longum fecére tractâtum; de Vírgine María, quæ vita, & dignitâte omnes antecêdit, ita summàtim percúrrant históriam: Cur, inquam, non tráditum est me-

memóriæ, quòmodo concépta, quòmodo nata, quòmodo nutrîta, quibus mòribus decorâta, quibus virtútibus ornâta, quid cum Fílio in humánis égerit, quòmodo cum illo conversâta sit, quòmodo post ejus Ascensiônem cum Apóstolis víxerit? Magna erant hæc, & memorâtu digna, & quæ cum summa devotiône à fidélibus legeréntur, à pópulis amplecteréntur. Quis enim dúbitat, quin in ejus nativitâte, & pueritia mira multa contígerint; & puélla hæc in téneris annis stupéndum sæculis virtûtum ómnium monuméntum extíterit?

℟. Felix namque es sacra Virgo Marîa, & omni laude digníssima. * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercêde pro devóto femíneo sexu: sentiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitâtem. Quia ex te.

Lectio VIII.

HÆc mihi hæsitánti cur de áctibus Vírginis, sicut de áctibus Páuli non est compósitus liber: nihil aliud occúrrit (accusâre enim Evangelistas negligéntiæ, sicut ímpium, ita, & temerárium júdico) quam ita placuísse Spirítui Sancto, ejúsque providéntia Evangelístas siluísse, proptérea quia Vírginis glória, sicut in psalmis légitur, ómnis intus erat, & magis cogitári póterat, quam descríbi: sufficitque

que ad ejus plenam históriam, quia de illa natus est Jesus? Quid ámplius quæris? Quid últra requîris in Vírgine? Sufficit tibi, quòd Mater Dei est.

℟. Beâtam me dicent omnes generatiônes. * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia.

Lectio IX.

NON eam Spiritus Sanctus litteris descrípsit, sed tibi eam ánimo depingéndam relíquit, ut intélligas, nihil illi grátiæ, aut perfectiônis, aut gloriæ, quàm ánimus in pura creatúra concípere possit, defuísse: immo reípsa intelléctum omnem superásse. Ubi ergo totum erat, pars scribénda non fuit, ne putâres, quod scriptum non fúerat, eîdem fórsitam defuísse. Si ancíllas suas, & minístras domus suæ potentíssimus Dóminus ita miríficè decorâvit, ita donis, & grátiis venustâvit: qualem exístimas cóndidit Matrem suam, únicam Sponsam suam, quam sibi ex ómnibus elêgit, & præ ómnibus ad amâvit? Omnibus eam Altíssimus præpósuit, non solum Virgíneis, sed étiam angélicis Choris, quia Mater ejus est, & Matrem Dei decet omnis celsitûdo. Quidquid ígitur de Vírgine scire, aut intellígere cupis, totum in hoc

cláu-

cláuditur brevilóquio : *De qua natus est Jeſus.* Hæc longa, & pleníſſima históría ejus eſt.

Te Deum laudâmus, &c.

AD LAUDES.

Aña: Dum eſſet, &c. *ut in Offic. B. M. V. ad Nives.*

Capit. Ab inítio &c.

Hymn. O gloriôsa.

Orat. Bonôrum, &c. *ut suprà*

In ſecundis Veſperis omnia ut in primis.

Miſſa ut in feſto Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, except. Ev. quod erit ut in Nativ. B. M. V. 8. Septemb. Liber generatiônis &c. *& prima Orat. prop.*

DIE XXII. JUNIJ.

IN FESTO

BEATI PHILIPPI DE PLACENTIA.

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Eremitarum S. Augustini.

DUPLEX MINUS.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. primo loc. præter ea, quæ ſequuntur.

ORATIO.

Mentibus noſtris, quæſumus Domine, intercedente B. Philippo Confeſſore tuo, Orationis ſpiritum benignus infunde, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt pla-

placita, & dictis exequamur, & factis. Per Dominum nostrum &c.

In i. Nocturno.
Lectiones de Scriptura occurrente.

In ii. Nocturno.
Lectio IV.

PHILIPPUS Placentinus Suzanorum sanguine clarus jam inde à puero illustria dedit futuræ Sanctitatis indicia. Nam à Genitoribus suis pie educatus statim ac per ætatem Deum cognoscere ei licuit, omnium cogitationum suarum primitias, seseque totum eidem consecravit. Adolescens ad conservandam innocentiam animi, neglecto paternæ Domus splendore, cunctisque spretis vanitatibus seculi, Monasticæ vitæ disciplinam in Ordine Eremitarum S. Patris Augustini suscepit. Ibi quo altius religiosæ perfectionis fastigium attolleret egregiæ humilitatis fundamenta jecit; atque ideo ita de se demissè sentiebat, ut quamvis generis claritate, & provitate morum præstaret, tamen omnium se minimum ingenuè censeret, atque ex animo nominaret. Tu autem Domine &c.

Lectio V.

ORandi studium in eo assiduum fuit, & ardentissimum. In rerum vero cælestium contemplatione ita defixus erat, ut ab omnibus terrenæ hujus habitationis delicijs semper abhorrens, totus in æternorum desiderium, & amo-

amorem rapi perpetuo videretur. Indeque factum est, ut quidquid ex ejus ore prodiret non leve unquam, & inane esset, sed superna semper, & cælestia tantummodo redoleret. Quamobrem sermo illius omnis eo tantum spectabat, ut vel ad caducas res aspernandas, vel ad cælestem Beatitudinem consequendam, vel ad diligendum Deum, & Proximum attineret. A Sacrosancto Missæ Sacrificio nunquam abstinuit, quod magnam vim lacrimarum profundens ex charitatis impulsu, in Defunctorum præcipue subsidium offerre consuevit. Tantam hanc Servi sui religionem quam gratam, & acceptam habuerit Deus, miraculis ipsis aliquando patefactum est. Sed & charitas, quam maxime in ægrotorum valetudine curanda exercuit, insignis fuit, & prodigiosa. Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, summo studio servavit, & cæterarum virtutum officia diligentissimè coluit. Tu autem Domine &c.

Lectio VI.

DEnique cum vitam omnem per hujusmodi pias exercitationes religiosissimè transegisset, meritis plenus Placentiæ Creatori suo spiritum placidissime reddidit, anno post Christum natum millesimo trecentesimo sexto. Nec defuere miracula, quę sanctitatem illius illustrarent. Servi Dei corpus, quod diù latuerat,

rat, inventum, suaveolentia, quæ opinionem Sanctitatis augeret, ad ipsius venerationem magis, magisque populum invitavit. Ibi Philippus novo extructo Sacello, publicum, ac perennem Cultum sibi ab obitu præstitum, illustriorem obtinuit. Quo quidèm Clemens Decimus Tertius prius explorato, & comperto, indulsit illum Beatorum numero adscribi. Tu autem Dñe.

DIE XIV. AUGUSTI.
IN FESTO
B. JULIANÆ A BUSTO ARSITIO VIRGINIS.

Et Monialis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

SEMIDUPLEX.

ORATIO.

DEUS, qui in dilecto Filio tuo eximium humano generi obedientiæ exemplum præbuisti, concede nobis quæsumus, intercedente B. Juliana Virgine tua, ut quæ à te jussa cognovimus, implere cælesti inspiratione valeamus. Per eumdem Dominum nostrum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

JULIANA prope Bustum Arsicium in lucem edita, inter ip-

ipsa infantiæ primordia futuræ sanctitatis non obscura præbuit indicia. Frequenter enim, & Ecclesiam adibat, & avidissimè audiebat verbum Dei. Invictæ paritèr fortitudinis egregium specimen exhibuit præferocis genitoris injurias, & verbera constantèr perferens, ne virginitatis propositum nubendo violaret. Hac de causa germano comite clàm aufugit, &, ut inviseret B. Catharinam de Pallantia fama sanctitatis percelebrem, Montem Varisium ascendit. Ibi à Dei Famula in sociam recepta, & salutaribus monitis instructa eximiæ perfectionis iter arripuit. Hinc singularis fuit ejus in cibo, potu, ac somno sobrietas. Flagris, & cilicio corpus castigans nunquam otio vacavit. Veritatis amantissima, ficta verba summoperè odio habuit. In puaperes vero præcipuè quorum necessitatibus pro viribus consulebat, peculiari charitate flagravit. Tu autem Domine &c.

Lectio V.

SOlemni deinde Professione emissa in Monasterio à B. Catharina sub Regula S. P. Augustini recens fundato, vota à se Deo nuncupata, studio, & cura singulari servavit. Præsertim vero obedientiam, sibi Christi exemplo proposito, ita ardenter excoluit, ut hæc virtus admirabilis in ea fuerit. Precibus ita erat addicta, ut modica corpori quiete concessa,

ora

orationi in Ecclesia noctu etiam vacaret. In adversis patientissima fuit, & nullum unquam iræ indicium ostendit, nisi dum agebatur de rebus ijs, quæ Dei honori, & gloriæ adversabantur. Licet autem tam insigni sanctitate Juliana præstaret, tamen exhibens se hilari, & angelico vultu affabilem omnibus in omni sermone, humilitatis virtute morum suorum probitatem eximiam diligentissime celabat. Tu autem Domine &c.

Lectio VI.

LEthali tandem aggressa morbo cunctis Ecclesiæ Sacramentis muniri voluit, & extrema etiam vitæ die ad Missæ Sacrificium assistens, nocte Assumptionis B. Mariæ Virginis, humi, ut optaverat, strata, anno salutis millesimo quingentesimo primo migravit in Cælum. Ab ejus obitu miracula nonnulla subsecuta publicum ei Cultum conciliarunt, quo postea comperto, riteque probato, Clemens Decimus Quartus Julianam Beatorum Catalogo indulsit adscribi. Tu autem Domine miserere nobis.

Deo gratias.

DIE XXI. OCTOBRIS.
IN FESTO
B. GUNDISALVI
DE LAGOS.

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Eremitarum S. Augustini.

SEMIDUPLEX
PRO TOTO EODEM ORDINE.

In omni vero ditione Regni Portugalliæ ex Decret. Pii VI. die 7. Febr. 1781. duplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis præter ſequentia.

In Hymno Iste Confeſſor, *mutatur tertius verſus.*

ORATIO.

DEus virtûtum, qui Beátum Gundisálvum Confeſſôrem tuum ánimi demissiône, morum candôre, ac singulári charitâte mirábilem effecísti; concêde quęsumus, ut ejus exempla imitántes in terris, coronári cum ipso mereâmur in cęlis. Per Dóminum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In

In II. Nocturno.

Lectio IV.

GUndisálvus Lacóbricæ in Lusitánia ex piis, & honéstis paréntibus natus à prima ætâte, tum morum innocéntia, tum litterârum addiscendârum stúdio mirífice enituit. Virginitâtem ita cóluit, ut adoléscens ab æquálibus suis inhonéstos sermónes miscêri áudiens, íllicó sese in fugam conjécerit, eorúmque consuetúdinem perpétuo devitáverit. Hinc mundi illécebras omnes aversátus, sério cœpit deliberâre de ampleсténdo Reguléri Institúto, quod Ulyssippône tandem præstitit, hábitu suscépto Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & cus todîvit eum ab inimíci & à seductóribus tutâ vit illum. * Et dedit il claritâtem ætérnam.

℣. Justum deduxi Dóminus per vias rectas & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

IN hoc arctiôris vit curriculo, non bre víssimo tantum somno sed étiam parcíssim victu ad affligéndun corpus utebâtur, quod cilíciciis quoque domâ bat. Mox philosóphi cis, ac theológicis dis ciplínis celériter arrep tis, públicum concio nándi munus óbiit sum ma cum audientium uti litâte. Cumque ejus vi tûtis fama longé latêqu patêret, in celebriôribu per Lusitániam Ordini

su

sui Coenóbiis Prior, licet ínvitus, est eléctus. Quibus in munéribus ad extrémum usque vitæ tempus nullis unquam parcens labóribus, & summa cum laude versâtus est.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum: stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronâvit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorîcam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

DE se ita demísse sentiébat, ut doctoráli láurea dignus reputâtus, illum honôris gradum constantíssimè recusáverit. Nullum majus capiêbat solátium, quam dum púeros, rudésque hómines erudîret præcéptis, institútisque Christiánæ Religiônis. In Cœnobiis, quibus præficiebâtur, vilióra quæque officia libentíssimè, tamétsi fractis jam penè viribus, exercêbat. Morti próximus alúmnos suos ad pacem, & regulârem disciplînam adhortâtus, sexagenário major sanctíssimè óbiit. Post mortem miráculis, & cultu cláruit, quibus cógnitis Pius Papa Sextus, ejus Festum ab Univérso Ordine Augustiniensium celebrári concéssit.

℟. Iste homo perfêcit ómnia, quæ locûtus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est, qui contémp-

BA778
C3630

15-340

témpsit vitam mundi, & pervênit ad cæléstia regna. Quia. Glória. Quia.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ. In Evangelium Sint lumbi vestri, *de Communi Confessoris non Pontificis: legitur lectio ix. de Hilarione Abbate, cu commemoratione eju dem in Laudibus, Sanctarum Ursulæ, Sociarum Virginum, Martyrum.*

CUM PRIVILEGIO.

Mexici ex Typographia Matritensi H
redum Lic. D. Josephi à Jauregui,
in via S. Bernardi.